



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

153. An qui furatur rem sacram ex loco sacro, teneatur in confessione
utramque circumstantiam explicare? vel satisfaciat dicendo, commisi
furtum sacrilegum, vel furatus sum rem sacram? Ex p, 8. tr. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

3. Sed, licet hoc, vt dixi, verum sit: puto tamen, in simili casu contra Nugnum, & alios, sufficere, si penitens dicat: Furatus sum, & postea subiungat: Habi intentionem mœchandi. Et ita docet Angelus verb. interrogatio, s. 6. Nauarrus in Man. c. 6. n. 2. & ex Neoterico Petrus Fay in addit. ad 3. part. quest. 9. artic. 2. distinct. 11. Quia, vt ait ipse, malitia, quæ in furto defumitur ad mœchia, ad quam ordinatur, non est alia ab ea, quæ reperitur in intentione mœchiæ: similiter malitia furti, quæ reperitur in intentione mœchiæ, non est diuersa à malitia ipsius furti secundum se: ergo, qui confitetur furtum, & mœchiam, etiamsi non explicet, se ordinasse vnum ad aliud, sufficienter explicat suum statum: ergo ad aliud non tenetur.

4. Notandum est etiam cum Coninch de Sacrament. disput. 7. dub. 4. num. 24. & aliis vbi supra, quod circumstantia finis tunc est explicanda, quando quis peccando intendit finem aliquem, qui continet malitiam mortalem. Vnde recte notauit Pitigianus in 4. sent. tom. 2. dist. 17. q. vnic. art. 5. in circumstantia, Cur, quod si quis est confessus propter inanem gloriam; hæc circumstantia mali finis, id est vanæ gloriæ, non erit necessariò in confessione aperienda: quia in tali casu circumstantia mali finis non continet malitiam mortalem: ergo non est confitenda.

5. Nota secundò, quòd si quis in die festo propter studium omittet Sacrum, non est necessarium in tali casu confiteri circumstantiam studij, propter quod omisium fuit sed tantum omissionem Sacri: quia talis circumstantia, nec in se mala est, nec mutat speciem peccati, nec illud notabiliter aggrauat: ergo, &c. Et ita docet Salas in part. 2. tractat. 13. disputatione secunda, sect. 7. & 8. Valquez etiam in part. 2. disput. 93. cap. 5. Henriquez lib. 2. cap. 5. num. 7. & in Glossa, lit. C. cum aliis.

RESOL. CLIII.

An qui furatur rem Sacram ex loco Sacro, teneatur in confessione vtramque circumstantiam explicare, vel satisfaciat dicendo, commisi furtum sacrilegum, vel furatus sum rem Sacram: Ex part. 8. tractat. 7. & Misc. Resol. 76.

§. 1. Negatiuè respondet Fagundez de precept. Eccles. part. 2. lib. 4. cap. 5. num. 21. Nam licet ex duplici capite furtum reddatur sacrilegum, vel quia surripitur res Sacra, vel quia surripitur de loco Sacro, etiamsi sit res non Sacra. Inter quæ duo non esse distinctionem specificam, nec differentiam notabilem explicandam in confessione: sed etiam si quis furatus sit rem Sacram de loco Sacro, satisfaciare dicendo; Commisi furtum sacrilegum, vel furatus sum rem Sacram. Tamen D. Thomas 2. 2. questione 99. artic. 3. aliique communiter, distinguunt specie sacrilegium erga rem Sacram, ac erga locum Sacrum, sicut & erga personam Sacram. Vnde recte aduertit Eminent. de Lugo disput. sexta, num. 471. debere eam differentiam, & vtramque circumstantiam, quando simul fuerit, explicari. Et idem etiam docet notissimè Raphaël Auera de Sacram. Penit. quest. 10. sect. 11.

RESOL. CLIV.

Quidam latro furatur crumenam diuitis in Ecclesia, Queritur, an hoc peccatum præter malitiam furti, contineat etiam malitiam sacrilegij necessariò in confessione aperendam?

Et an furari ex Ecclesia ea, quæ sub iure, & quasi potestate Ecclesie, verbi gratia, quia illi sunt tradita ad custodiendum, vel in pignus data, vel alio simili modo in Ecclesia deposita, vt furari tapeta, tabellas, corinas, vel sellas, quæ erant accommodata à Sacrista pro ornamento alicuius Festiuitatis in Ecclesia, sit sacrilegium; & secus vero si quis deferat sellam, tapeta, vel baldachinum, vel quid huiusmodi in Ecclesiam, pro sua commoditate, vel ornamento, vt faciunt Principes, Officiales, Nobiles, &c?

Et breuissimè notatur non committere sacrilegium, qui furatur à Clerico aliquid iure Ecclesiastico possessum. Ex part. 1. tit. 7. Resol. 27.

§. 1. Sententia affirmatiua absolutè, sine vlla distinctione, de qua nos inferius, placuit Paulo de Layman, in Theolog. morali, lib. 4. tractat. 10. cap. 7. num. 18. & Francisco Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 7. vbi ex communi sententia asserit, furtum in loco Sacro sacrilegum esse. Probatur ex verbis Ioannis Papæ, in cap. Quisquis. 17. quest. 4. quæ sunt ista: [Sacrilegium committitur, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro.] Vbi clarè demonstratur, simpliciter, & sine vlla limitatione esse speciem sacrilegij, furari non sacrum de sacro, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. I. de pratorio, ff. de Publican. nisi vel alia lex obliget, vel ratio cogat, quando alias sequeretur absurdum quorum nihil in nostro casu interuenit: & sic hanc sententiam sequitur etiam Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 2. quest. 99. art. 2. dist. 7. & Rebellius part. 1. lib. 3. q. 15. n. 25. cum Reginaldo tom. 4. lib. 23. c. 1. n. 12. & Menochio de arbitrarijs, lib. 2. cent. 4. cas. 789. n. 14. & Petro de Ledefina in summ. tom. 1. tract. de Penit. cap. 19. fol. mibi 328. col. 2.

2. Pro decisione huius quæstionis, oportet distinguere duos modos, quibus potest res non sacra in Ecclesia esse. Primò, quia est sub iure, & quasi potestate Ecclesie, verbi gratia, quia est illi tradita ad custodiendum, vel in pignus data, vel alio simili modo in Ecclesia deposita. Secundò, potest res aliqua profana per accidens esse in Ecclesia; vel, quia ibi est persona, quæ illam secum deferat, vel, quia casu ibi relicta est. Hoc supposito.

3. Assero contra Suarez, in priori casu sacrilegium esse furari bona in Ecclesia, non autem in posteriori casu: vt, quando latro, verbi gratia, furatur crumenam diuitis. Et ratio est: quia bona illa, quasi per accidens, sunt in Ecclesia: ergo non irrogatur specialis iniuria ipsi Ecclesie, etiamsi inde quis ea furetur; & aliàs tale furtum non est specialiter prohibitum ab Ecclesia in honorem templi: vnde non habet malitiam sacrilegij lethalem: & ex hoc non est necessariò aperienda hæc circumstantia in Confessione. Hanc sententiam tenet Sotus in 4. dist. 18. quest. 2. art. 4. Ioan. de la Cruz in direct. conf. part. 2. tract. de Sacram. Penit. quest. 3. dub. 6. conclus. 1. Fagundez Precepto, 2. lib. 4. cap. 4. num. 9. & 12. Henriquez lib. 2. cap. 6. num. 5. in Glossa, lit. N. & ego prædicè probabile iudico, sicut etiam probabilis visa est Raphaëli de la Torre vbi supra, & Lessio lib. 2. c. 45. dub. 3. num. 14. vbi sibi ait: [Furtum in loco sacro, & quidem si alyli, & securitatis causa res ibi sit deposita, vt reuerentia loci tuta sit ob circumstantiam loci sacri dicit malitiam sacrilegij mortiferam: si autem eam ob causam ibi deposita non sit, probabile est rationem sacrilegij mortiferam non esse; quia res illa custodia loci sacri non erat coneredita, sed per accidens ibi posita. Quare non censetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari, quàm per confabulationes,

Sup hoc lege sup. doctrin. s. Item Resol. 18. & doctrinam, & consequentiam Resol. 89. & aliarum Resol. & ss. eorum auctor.

TION
1011
III